



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii  
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali  
Benedictina Universitate Salisburgensi**

**König, Robert**

**Salisburgi, 1725**

**VD18 80460526**

28. De Clerico non ordinato ministrante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

TITULUS XXVIII.  
De Clerico non ordinato  
ministrante.

## SUMMARIA.

1. Clericus delinquit, si ministrat non ordinatus.
2. Quomodo talis Clericus puniatur?

I **Q**uarto delinquit Clericus, si non ordinatus ministrat, & ordinis majoris, quem nondum suscepit, ministerium sibi usurpet; velut cum Sub-Diaconus Diaconi, Diaconus Sacerdotis officio fungitur, Missam v.g. celebrando, aquas & nuptias benedicendo, absque Sacerdotis commissione solenniter baptizando &c. Addidi: & ordinis majoris; nam minorum officia ex praxi hodierna Ecclesie passim à laicis quoque exercentur.

## §. II.

2 **P**ena hujus delicti est, quod non ordinatus ministrans fiat perpetuo irregularis ad suspensionem ejus Ordinis, in quo non ordinatus scienter & serio ministravit. c. 1. & 2. b. tit. Requiritur tamen ad incurrendam hanc irregularitatem, ut quis solenniter, & tanquam ex officio exerceat actum Ordinis non suscepti. Unde irregularitatem non contrahit, qui in officio solenni Epistolam, vel Evangelium canit etiam Dalmatica indutus, modò manipulum, & stolum non deferat: cum proprium insigne Diaconi sit stola, Sub-Diaconi manipulus. II. Diaconus Missam celebrans arbitrio Episcopi per biennium, aut triennium à Diaconatu suspenditur. c. 2. b. t. alii autem Clerici ordinem non susceptum exercentes deponuntur. c. 1. b. tit. Potest tamen Episcopus cum male celebrante dispensare, ut beneficium ad sustentationem necessarium retineat. d. c. 2. quemadmodum & cum aliis irregularibus, exigente causa circa retentionem beneficii dispensare licet per c. presbyter. 16. dist. 28. c. studeat 39.

dist. 56. III. Hodie ex constitutione Clementis VIII. quilibet non Sacerdos dicens Missam, aut confessionem Sacramentalem excipiens ab Ecclesia abjicitur, & ab ordinibus, si quos habet, ritè degradatus jubetur tradituræ seculari debitis pœnis plectendus, ut refert Barb. in c. 2. b. t. n. 2. Quaranta in Sum. Bullar. V. Ordo. Quod si laici tale quid presumant, in utroque foro tanquam falsarii, & sacrilegi puniri possunt, & gravibus pœnis arbitrio Judicis coerceri, teste Bernard. Diaz in pr. crim. can. c. 12.



TITULUS XXIX.  
De Clerico per saltum promot.

## SUMMARIA.

1. Quis dicatur promotus per saltum? 2. Qua sit pena sic promoti?

## §. I.

**Q**uinto delinquit Clericus, si non gradatim ad Ordines, sed per saltum, id est, ad majorem, omisso mediò, puta ad Diaconatum ante Sub-Diaconatum, ad Presbyteratum ante Diaconatum promoveri se curet: quamvis enim ejusmodi ordinatio valida sit, excepto Episcopatu, qui essentialiter Sacerdotium præsupponit juxta c. ex literis. 10. in fin. de Excessib. prelat. attamen illicita est: siquidem tam inter Minores, quàm Majores Ordines subordinatio sit oportet, ita ut prius quis debeat ordinari ostiarius, deinde lector, postea exorcista, acolythus, Sub-Diaconus, Diaconus, Presbyter, & demum Episcopus. c. clerici. dist. 21.

## §. II.

**P**ena hujus delicti est, quod per saltum ordinatus sit suspensus à suscepti Ordinis executione. c. sollicitudo. dist. 52. Zoël. b. t. n. 1.